



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Regi Castellæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

nestum, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram eandem sublato appellationis obstaculo compescentes. Ad hæc, præfatum monachum, si absque scandalo fieri poterit, faciatis recipi, salva ordinis disciplina, in monasterio antedicto. Alioquin ipsum in alio monasterio ejusdem ordinis collocetis. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quod si non omnes &c. duo vestrum ea &c. usque exequantur. Datum Laterani Kal. Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

*ELECTO ET PRÆPOSITO
Colocensibus.*

*Epist. 133.
Confirmatur
electio Præpo-
siti Cibiniensis.
Vide infra epist.
85. & infra
epist. 136.*

Sicut dilectus filius magister R. nobis exponere procuravit, carissimus in Christo filius noster Vngariæ Rex illustris ipsum ad præposituram Cibiniensem duxit canonicè presentandum. Verùm quia præpositura eadem ad nos in spiritualibus nullo pertinet mediante, nobis humiliter supplicavit ut sibi eam in his quæ ad nos pertinent conferremus. Nos autem quod per dictum Regem factum canonicè fuerat approbantes, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus dictum R. in eadem præpositura instituire auctoritate apostolica procuretis. Datum Laterani x. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ILLVSTRI REGI CASTELLÆ.

*Epist. 154.
Consolatur eum
in tribulatione
sua, & dat indulgentias.*

Cum personam tuam inter catholicos Reges speciali diligamus in Domino caritate, in his quæ secundum Deum requiris à nobis favorem tibi apostolicum libenti animo impertimur. De infortuniis ergo quæ nuper serenitati regis acciderunt paterno tibi condolemus affectu. Et ut favorem apostolicum excellentiæ regis sentias non deesse, juxta petitionem tuam & instantiam dilecti filij Segobiensis electi nuntij tui, qui circa promotionem ejusdem negotij extitit sollicitus & attentus, Archiepiscopis & Episcopis per regnum Franciæ ac Provinciam constitutis nostris damus litteras in mandatis ut subditos suos sedulis exhortationibus moneant & inducant, in remissionem omnium peccatorum ex parte Dei & nostra verè penitentibus injungentes, ut cum Sarracenis in octavis Pentecosten proximo affuturis campestre bellum indixeris, in hoc tibi necessitatis articulo succurrentes, necessarium impendant auxi-

*Vide lib. 13.
epist. 183. lib.
14. epist. 3. 4.
lib. 15. epist.
15.*

lium in rebus pariter & personis, ut per hæc & alia quæ fecerint, cœlestis regni gloriam consequantur. Pari quoque remissione gaudere concedimus peregrinos qui propria devotione undecunque processerint ad idem opus fideliter exequendum. Monemus igitur serenitatem regiam & hortamur quatinus totam spem tuam ponens in Domino Deo tuo, te humilis coram ipso, qui gratiam suam dat humilibus, & reddit retributionem superbis, quia potens est ut te faciat de inimicis crucis Christi magnificè triumphare. Ceterum quia nunc ferè totus mundus turbatus est & positus in maligno, consulimus & monemus ut si competentes treugas invenieris, ipsas recipias, donec opportunus tempus adveniat quo ipsos valeas securitus expugnare. Datum Laterani 11. Nonis Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

*SENONENSI ARCHIEPISCOPO
& suffraganeis ejus.*

Recepimus litteras dolore plenas & timore non vacuas quibus carissimus in Christo filius noster Aldephonsus Rex Castellæ illustris significavit quod Sarraceni hoc anno intrantes Hispaniam in multitudine gravi, quoddam castrum Cisterciensis ordinis fratrum, quod Salvaterra vocatur, hostiliter obfederunt, quod bellicis machinis infestantes ad ultimum occuparunt. Attendens ergo præfatus Rex quod nisi eis campestri bello fortiter resistatur, ipsi tum propter innumerabilem multitudinem personarum, tum propter irruptionem machinarum durissimam, universas munitiones suæ possint nefandè subicere ditioni, campestre illis bellum indixit in octavis Pentecosten proximo affuturis, eligens mori potius quam Christianæ gentis mala videre. Vnde nobis humiliter supplicavit quatinus ei necessarium faceremus auxilium impertiri per catholicæ fidei professores. Nos igitur pium ejus propositum in Domino commendantes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus subditos vestros sedulis exhortationibus moneatis, in remissionem omnium peccatorum ex parte Dei & nostra verè penitentibus injungentes, ut ei præscripto termino in hoc necessitatis articulo succurrentes, necessarium impendant auxilium in rebus pariter & personis, ut per hæc & alia bona quæ fecerint, cœlestis regni gloriam consequi mereantur. Pari quoque remissione gaudere concedi-

*Epist. 154.
Epist. 154.
Epist. 154.
Epist. 154.*